



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 108. An peccent Superiores, maximè laici, imponentes varias leges
Clericis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

è patria, ut eripiantur à fisco, communis sententia est huic pœnæ non subjacere Clericum, neque res ipsius, quæ gaudent privilegio personæ, cùm Clerici non teneantur ullâ vi coactivâ legum civilium, uti rectè *Dalb.* suprâ. *Ad argum.* oppositum, *R.* Esse quidem cives, sed exemptos à potestate civili. Vide *Illf.* t. 1. d. 2. à n. 28., ubi, etiam non improbabili- ter, docet legem civilem per potestatem Ecclesiasti- cam approbari & imponi Clericis, adeoque posse gra- viter obligare.

679 Q. 108. *An peccent Superiores Laici, im- ponentes varias leges circa Clericos.* *R.* Non peccant, si leges sint justæ, & ab Ecclesia comprobentur, quod necessarium esse, decernitur *Cap. Ecclesia S. Mariae*, *De Constit.*, etiam si ferantur in favorem Ecclesiæ, uti notat *Carden.* in I. crisi d. 61. n. 183. Probat au- tem ex jure *Less.* in auct. V. *Bona Ecclesia*, cas. 3., quod statutum, quo Ecclesiæ & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendas possessiones & immobilia bona, sint contra libertatem Ecclesiasticam, eosque, qui condunt talia statuta vel ea exequuntur, esse ex- communicatos: *Pirh.* l. 1. tit. 2. à. n. 90. & *Diana* p. 6. tr. 3. R. 6. fusè probant ejusmodi statuta non tantùm esse illicita, sed etiam prorsus irrita. Addit *Lessius* cas. 4. & fusè probat constitutionem illam esse graviter illicitam, quâ statuitur, ut illis, qui volunt ingredi religionem, vel jam ingressi sunt, non liceat bona sua vel portionem obventuram da- re pauperibus, vel conferre in religionem, putatque auctores talis constitutionis non evadere excommu- nicationem ipso facto incurrendam & latam ab *Ho- norio III.* *Cap.*, *Noverit*, de Sent. Excom., quæ confirmata est à *Trident.* *Ses.* 25. c. 20. Ibidem cas. 5. docet *Less.*, sæculari auctoritate statui non posse, 1. Ne religiones certum numerum personarum non

exce-

excedant. 2. Ne excedant certam quantitatem reddituum. 3. Ne ingredientes vel alii laici conferant plura bona mobilia religiosis, quàm ad constitutam taxam necessaria sunt : atque hæc omnia probat fusè, explicatis omnibus textibus Juris, qui dictis videntur esse contrarii. Vide *Delbene* de Imm. Eccl. toto c. 8. & *Arcdek.* p. 3 t. I. de opin. prob. q. 25. in fine. Item dicenda l. 4. à n. 1382. & 1389. Quid autem liceat Judicibus Sæcularibus contra Ecclesiasticos dicetur ibid. à n. 1381.

Q. 109. *An lex possit favere alicui non subdito, vel ei, qui eam non recepit,* v. g. si lex civilis statuat, ut bonâ fide possidens aliquid per duos annos, præscribat titulum, an Ecclesiasticus non subjectus legi civili possit gaudere illo privilegio, & præscribere contra laicum : Similiter si *Trident.* alicubi non sit receptum, an nihilominus possint incolæ talis loci gaudere privilegiis seu favoribus *Tridentini. R.* 680

§. I. Primum negat *Caram.*, quia legibus non debent judicari, qui non sunt eis subjecti : è contrà affirmat *Carden.* in 1. crisi d. 61. c. 14., nam v. g. Rex Hispaniæ potest condere legem, ut non liceat merces efferre, nisi in Galliam, hæc lex favet Gallis ipsi non subjectis, ergo. Itaque quamvis lex non possit favere non subdito, directè afferendo illi aliquam obligationem, vel etiam tollendo obligationem per aliquam dispensationem, eò quòd obligatio non possit imponi nisi subdito, & sublatio obligationis, quæ per dispensationem fit, non fiat nisi respectu subditi, potest tamen lex simpliciter favere etiam non subdito legi, sic enim potest ferri lex in Hispania, ut nemini præterquam Gallo liceat in regnum venire, quæ lex favebit solis Gallis, gravabit reliquos. Id maximè valet de Ecclesiasticis alicujus Communitatis legibus subjectæ, nam sunt pars istius
Com-